



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1549. usque ad annum 1551 - ... Atque Tabulis
Chronologicis Ab Anno Christi 1000 Usque Ad 1595 ...

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118537

§. 96. Petrus Strozzius unacum copiis Parmam ingressus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66584](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66584)

aucti codem tempore Parmam simul, Sæcul. XVI.
& Mirandulam cum tanta animi fortitudine aggrediebantur, & cunctam regionem qua late patet, tanto furore devastabant, ut Brissacus resistendo impar unice hostem aliorum divertere sollicitus esset: unde exeunte mense Augusto Pedemontium, inde vero Montferratum contendit, ubi Chierum, S. Damiani oppidum, aliasque urbes suis armis subegit. Hujus irruptionis fama commotus Gonzaga Parmensis urbis obsidionem solvere compellebatur, veritus, ne hostis sese in Mediolanensem Ducatum effunderet. Hoc facto Paulus Thermus Parmam, Sansacuus vero Mirandulam ingressi sunt, utramque urbem pro pugnaturi.

§. XCVI.

*Petrus Strozzius unacum copiis
Parmam ingressus.*

Præterea Galliarum Rex, ut majori securitati prospiceret, Petrum Strozzium cum valido peditum agmine, nec non Horatium Farnesium Castrensem Ducem cum equitum cohorte in Italiam alegabat. Igitur Strozzius per Helvetiam transiens, toto studio Concordiam petuit, ibidemque erupta omni mora Reggium contendit, ubi intra exiguum

Thuan. l.c.

U 5 tempo-

Sæcul. XVI. temporis spatum residuas quatuorde-
A.C. 1551. cim leucas emensus Parmam ingressus
 est. Hujus Viri adventus, quo minus
 erat expectatus, eo magis urbis cives,
 præcipue vero Octavium ingenti solatio,
 ac lætitia recreabat.

Cum autem Cæsar's arma in Italia
 haud adeo magnos facerent progressus,
 ejusdem Ministri majori inde odio in
 Gallos concitabantur, eosque imme-
 to redarguebant, quod Octavium in
 suam tutelam recepissent speciemenu-
 quidem, hunc supplicem defensuri, re-
 tamen ipsa, ut Italiam bello opprimerent,
 atque inter Christianos dissidia semina-
 rent: „ Hanc ob rem, inquiebant ipsi,
 „ Henricus II. Galliarum Rex sollicita-
 „ vit Imperii Ordines & Principes, ut
 „ a Cæsare deficerent; neque Galli in
 „ Concilium, quod ipsorum rogatu Cæ-
 „ sar ad sarcientam Ecclesiæ concordi-
 „ am coegerit, consentiunt, missis Lega-
 „ tis, qui contestarentur, & illud pro
 „ irrito Gallos habituros denuntiarent. „
 His addebant: „ Rex nuper Brissacum,
 „ ut belli occasionem quæreret, in Sub-
 „ alpina regione cœnobium, quod Bar-
 „ gæ pagi a Cæsarianis custoditi ditio-
 „ nis est, occupavit, & festinato ope-
 „ re nunc munivit. „ Præterea iidem
 Cæsar's Ministri, ut Gallicam Nationem
 summa invidia onerarent, nuper etiam
 Regem

Regem cum Turcis in Christiani nomi-
nis perniciem foedus inisse spargebant. Sæcul. XVI.
A.C. 1551.

Verum Galli, ut hasce criminatio-
nes diluerent, Cæsari Carolo V. hæc
objectabant: „Cæsar, cum Aquitania
„tumultibus, & seditionibus arderet,
„misso Burano Comite cum Anglis e-
„git, ut Burdigalenium tumultuan-
„tium tutelam susciperent, & jus,
„quod in Aquitania armis amiserant,
„jure recuperarent: insuper pace ante
„biennium cum Anglis facta Santan-
„dreano e Britannia redeunti infidias
„tetendit, & quasdam e Gallicis na-
„vibus per Belgas intercepit, necnon
„Helvetios, quo minus cum Rege foe-
„dus renovarent, sollicitavit, postre-
„mo Cæsar Carolo Marillac Veneto-
„rum Episcopo apud Regem Oratori
„injuriose comminatus est, fore, ut si
„res ad arma deveniant, Cæsar Regem
„ad infimam conditionem redigeret..”

§. XCVII.

Galliarum Regis interdictum de pe- cuniis Romam mittendis.

Postmodum summus Pontifex, cum pro- Sleid. p. 821.

fana in Galliarum Regem arma con-
vertisset, simul etiam injuriam sibi ab eo
illatam spirituali gladio vindicare statuit;
qua propter Regem anathema incurrisse
decla-